PRÆLIUM
Nuportanum

Rerum fide tradebat,

IS: DORISLAUS. I. C.



LONDINI:
1640.



PRAELIUM
Nuportanum.



Æviebat adhuc inter liberos 1600.
victosque Belgas civile Bellum, avidum sanguinis, pecuniæ prodigum, raptis per mutuas clades tot fortibus animis, & egestis in terræ punctum veteris simul & novi orbis immensis opibus; cum ærarii & stipendiorum inopiâ, Hispanicas legiones seditio incessit. Vetus illâ militiâ malum, initio statim sęcularis anni in rabiem proruperat; orto à vexillariis per Brabantiam præsidia agitantibus initio, & tractis pari vel necessitate, vel prædandi lubidine Wâlonum Germanorumque numeris, qui Crevekeuram, & ad Mosæ Vahalisque confluen-

tes S. *Andreæ* munimentum insidebant. Excîverat ea res solito maturiùs, & vergente adhuc hyeme, *Mauritium* Orangii Principem, properum gnarumque occasionis. Et ille quidem, non territis magis quàm emptis seditiosorum animis, acceptisque in deditionem munimentis, clarâ in presens victoriâ, & in posterum usui, adultó jam vere Hagam reversus est. Sustulerant animos hoc successu liberi Belgæ; & in Ordinum Conventu differebatur; instandum cœptis & famæ, dum fluxâ ærarii & militum fide, vis dolusque adversum discordes & iratos ex æquo valerent: Hispaniæ Regem imminutis ob præclusa commercia, vectigalium fructubus, attenuato Indiarum proventu, effusis priori anno in classem rursus Angliæ minacem & irritam opibus, læsaque apud Italos fide, non sufficere necessitatibus belli: Archiducem *Albertum* primo statim in Belgium ingressu Imperii primordia Tributis & odiis oneravisse: ab ipsis provinciis jampridem bello attritis, equitum peditumque vim, damna & injurias ægrè tolerari: Quare si acriùs ipsi incubuerint, externo simul impulsu, & interno motu ruiturum hostem. Multo hæc inter proceres adsensu celebrabantur; & plerique sumptuum & pecuniæ parci, verbis egregii & penè nimii erant.

Sed

Sed Hollandi in quos tota impendiorum moles inclinaverat, variè differebant, de magnitudine æris alieni, inopiâ quæstuum, & immensis civium oneribus; desolari urbes dilapsu opificum; mercatores exhaustos; vires animamque Reipublicæ elidi prædationibus Dunkerkanorum: abnuebantque ulteriores in æstatem sumptus, præterquam pacando mari, & rapiendæ prædantium sedi. In idem Zelandi, & acriùs pertendebant, quanto gravioribus ob viciniam damnis affligabantur. Destinatio hæc præpotentium Provinciarum specie & usu omnibus magnifica, sed aspera inceptu, perfectu ardua prudentibus videbatur: ea pars quo suspectior sollicitis Principi placebat; cujus pulcherrimum animum difficultas operis, & patrandi per id belli gloria exstimulaverant. Veruntamen cunctator naturâ, cautis potiùs quàm acribus consiliis summam expeditionis tractabat, quæ crebra cum rerum bellique prudentibus habebantur. Ibi maturissimus quisque opportunitates Ostendæ loqui, quæ præsidiis & ditione Ordinum in orâ Flandriæ tenebatur: illâc invehi Oceano exercitum, & inde planitie littoris præter Nuportum sub Dunkerkam duci in promptu esse; subsecutura classe cum tormentis & annonâ militari;

 impulso

impulſo ſimul terrâ, ſimul mari bello. Inſtantior aliis ſecuritatis cura; nec imperatorium rebantur, ante captam Nuportum, Dunkerkam aggredi: ubi tergo conſuluerint, haud magnâ mole expugnari urbem, neque ſitu, neque manu validam, fluxis ævo & incuriâ munimentis. Præcipuum fiduciæ alimentum erat Seditio Hiſpanorum, præpeditura ſubſidium obſeſſis; & ſi fortè motus conſederint, impar equitatu & minor hoſtis non auſurus noviſſimum diſcrimen. Aderat conſilio *Franciſcus Verius*; quo nemo illâ tempeſtate rei militaris callidior habebatur: ille multo uſu ſui & hoſtium gnarus, pares & audentes pugnæ *Alberti* copias, inceſſuraſque prælio intra quartum & decimum à *Mauritii* in Flandriam appulſu diem, præſâgus loquebatur. Erantque nonnulli conſiliantium, quibus tuta magis cum ratione quam proſpera ex caſu placebant: hi modeſtiùs diſſerebant. Bellum ſuſcipi avio itinere, hoſtili littore, inter incerta ventorum & maris: ſeditioſos ad obſequium flecti ingentibus promiſſis, & quantulacunque ſtipendiorum portione: imò ruituros ultrò, ut aſſertâ in hoſtem capitali urbe, uberrimos Flandriæ agros & opes excuſatiùs rapiant in præmium & prædam: & ſi rem dari in caſum oporteat, fruſtra

ſtra equitem jactari, meliori hoſtium pedite, in quo præcipuum robur: modicum victoriæ pretium eſſe commercii ſecuritatem, ſubactâ urbe inſidiatrice maris & raptubus infami: at fuſo exercitu, cladem immenſam, & nihil reliquum victis, uno prælij turbine, mari, commercio, libertate & patriâ excuſſis. Inexcuſatum viris tot per annos belli ſapientiam profeſſis præceps conſilium: hæſuramque temeritatis infamiam, tunc quoque cum pericula effugiſſent. Salutaria hæc ſed injucunda; flagrantibus Hollandorum animis in Dunkerkam, exitiabilem mercaturæ, & publicis ærarii fructibus gravem. Ita victis tandem plurium conſenſu nolentibus, in Flandriam decernitur exercitus; ingentibus animis, nec minori paratu: mille navium claſſis in peditem equitemque diſtributa; curruum & tormentorum ingens numerus; annonæ permagna vis. Placebatque conſilium, ne ſpatiis itinerum attereretur exercitus, impoſitos navibus militem, equos, commeatum, & extra fluminum ora in Oceanum evectos, exponere in portu Oſtendæ, ad uſum belli terrâ marique opportunæ. Sed benè conſultis, claſſique jam inter Zelandiæ æſtuaria allabenti fortuna ventique reflabant; cedente in Auſtrum cœlo curvigantibus adverſum.

Quare cum prima non provenissent, quod è præsentibus uberrimum erat, subducta fuit classis ad illam Flandriæ oram, quam à Zelandiâ Scaldis jam fluvii & maris ambiguus, abscindit. Ibi juxtà Castellum cui vocabulum Philippina, incitante sese æstu naves in vadum adactæ, quæ relabente pelago, in udi mollisque soli crepidine, utpote latâ alvo, & pandis more gentico carinis, sine noxâ sidebant; adeò ut horarum quinq ue spatio tota belli moles haud sanè gravi labore in terram redderetur. Ipsâ specie exscendentis exercitus territi hostes qui Philippinam insederant, sese dediderunt. Tum lustratæ copiæ equitum, peditumque: illæ ter; hæ duodecim millium; dispertitæque in tres manus, viribus & dignitate pares; alternante inter duces, more militiæ, frontis & tergi vice. Harum unam ducebat *Ernestus*, comes Nassavius, vir belli egregius; & cui nunquam ratio, nonnunquam fortuna defuit: altera *Everardo* habebatur comiti *Solmensi*, clarâ & veteri per Germaniam nobilitate: tertiam regebat *Franciscus Verius*, domi egregiis natalibus, foris ingentibus ausis factisque celebratus. Consultor omnibus & author aderat præeratque *Mauritius Orangianus*, columen partium. Modicis deinde itineribus, per depressum Flandriæ

driæ agrum, propè Ekeloam & Brugas inclytam olim opibus & mercimoniis advenarum, transductus exercitus apud Oldenburgum, quarto ab Ostendâ miliari, æstu sitique perustús consêdit: flagrantissimis quippe solibus, ardente Junio iter fecerant; & omnis illo tractu aqua turbida, & uligine decolor est, potuque nocens. Aperuerat hoc Castellum defessis hostium fuga, simulque viam quæ Ostendam pertingit: unde cibariorum & cerevisiæ affluenti copiâ toto sese triduo miles refecit. Ibi consultatum inter militiæ proceres ecquo primùm molimine famam auspicarentur & bellum. Id maximè ambigebatur, utrùm ad decus usumve potiùs foret; oppugnatamne Nuportum hosti eripere; an verò exuere eundem Castellis, quæ fallaces inter & humentes campos veluti claustra Ostendæ insidebat. Nuporti obsidio primò pluribus; mox omnibus placuit. Tum primores Ordinum, comites itineris & consilium ducibus additi, Ostendam concessère, tutam mari, viris, murisque urbem; ut exempti dubiis belli, summæ rerum servarentur: unaque *Solmensis* suâ cum manu, quà brevissimum iter, Ostendam præmissus, ut capto *Castello* cui nomen *Albertus*, viam quæ ab Ostendâ Nuportum ducit incursu & periculis hostium

 ex-

exsolveret. Et huic quidem sua vis & præsidii metus facilem victoriam dedêre. Exinde *Mauritius* motis ab Oldenburgo Castris, per interiora Flandriæ Nuportum versus ducebat exercitum; rapturus in transitu Dammam, Castellum ignobile quidem, sed accumbens flumini, quod prætervehens Nuportum sorbetur mari. At Oldenburgum & vicinas arces vacuas metu & fugâ hostium, suis ipse militibus discedens firmaverat; nam operibus munitæ erant; ut hostem si fortè excîtum, illo viæ compendio præcluderet, objectaretque labori & casubus, per longinquos circuitus Nuporto obsessæ subventurum. Cæterum proficiscentes jam copias putris soli labes, & curruum tormentorumque ponderi subsidens humus ab itinere destinato avertit; igitur cum in tenui viculo propè Hemskerkam pernoctavisset exercitus, flexo in dextram, & maritimo itinere, per læta & pinguia pascuorum viam moliebantur versus planitiem littoris; oppletis passim, dum incedunt, humilioribus fossis; & latioribus alveis, aut quibus altior gurges est, ponte junctis; non enim alia incilibus dissectior, & fœcundior aquarum regio est. Ita tandem perventum ad colles littori prætextos; castraque posita propè munimentum, quod captum

tum ante *Solmensi* memoravimus. Primâ statim luce fulsêre signa in planitie littoreâ; lætoque & composito agmine Nuportum ductæ legiones; fluviumque quo littus diffinditur, sidente æstu vado transiêre. Ardebat interim Hispanorum seditio; flagrantissimâ vi illorum, qui occupatis Diesta Brabantiæ, & conterminis Hannoniæ, terrore & minis pecuniam & spolia civium velut ex hoste prædam [illegible]abant: Hi pernicie & lue exempli i[illegible] quoque traxerant; egressosque ab Archiduce Legatos, hos irrisu & ludibrio, alios impulsu & verberibus proturbaverant; donec *Isabella* Infans Hispaniæ, *Alberto* nupta, timens dotali Belgio, ire Ipsa & opponere sanguinis Majestatem furentibus, non muliebriter constituit; ingens animi Heroina; & virilibus sub patre *Philippo* curis supra fæminam exercita. Illa per decus Hispani nominis & anteactæ militiæ, obtestabatur, ne se, ne maritum, hosti inultos Flandriæ agros rapienti in prædam relinquerent; admonebatque milites optatæ & elusæ toties pugnæ, nunc montibus, mari, armis, cinctum hostem: nec ullum deprensis iter nisi quod ferro aperiant: irent, properarent culpam in decus vertere; imponerentque triginta & quatuor annis magnum diem: sed finis

 sermo-

ſermonum in promiſſo mercedis & præmiorum; idque datis obſidibus firmabatur: tum preces valuere. Reverſos ad obſequium cupido involat eundi in hoſtem; piaculum furoris: ſecutuſque ardorem militum *Albertus*, quantum in præſidiis copiarum eſt, ſub ſignis educit; undecim millia peditum, equites mille & quadringentos, veteranum militem & expertæ virtutis; rapiebatque exercitum adeò citus & præceps, ut famam ſui præveniret; vir acer bello, & quantam modeſtiæ famam in purpurâ, tantam militiâ vigoris laudem apud poſteros meritus. At ſecurus hoſtium Orangianus exercitus loca caſtris apud Nuportum ceperat, tuta oppugnaturis, arctatura obſeſſos, diſpertitaque munia circummœnientibus; premendarum urbium artifice *Mauritii* ingenio. Jamque claſſis dives annonæ, cum omni inſtrumento militari appulerat; pontemque contextu navium claſſiarii inceperant ſternendo fluvio, quâ is coit arctior; ut caſtra & tendens in illis cis ultráque miles, viribus & uſu promptiùs miſcerentur; cum quarto quo hæc properantur die trepidi ab Oſtendâ nuncii attulere, hoſtem virium famaque ingentem propè Oldenburgum conſediſſe. Sanè *Rivaſius* Hiſpanus, multis ſtipendiis & belli gnarus, oſtentandis circa

ca Slusam copiis, & rumore supra verum auctis, Nuporti obsidione avertere *Mauritium*, jam ante agitaverat. Quare vocato concilio cum plerique notam *Rivasii* jactantiam spernerent, simulatione virium illudentis timori præsidiorum; *Verius* semper magna belli, mox ingens pars prælii, memor augurii, & tenax prioris sententiæ, contrà disserebat. Haud dubiè ingruere hostem cum robore exercitus & prælio incedere; quare repentino discrimini unum esse remedium, si relictâ Nuporto, totâ belli mole protinùs occurrant, ante quàm vel minando exterritis, vel vi obtritis Oldenburgi & Snaeskerkæ præsidiis, perruptoque itineris obice, medium se Ostendam inter & Nuportum hostis objiciat; posse, si universi festinaverint, simul præsidiis suis reddi salutem, & hostium Castellis, inter mersa & uliginosa camporum, Claudi aditum exitumque: pretium laboris haud inglorium; & paulò ante capturæ Nuporti à prudentibus æquatum. Hæc quidem haud frustrà moneri *Mauritius* fatebatur; sed cunctator naturâ, dum percoquit consilium, corrupit. Sub noctem, acrioribus, & alium alio urgentibus nuntiis adferebatur; hosti magnum & infestum agmen esse, instructumque tormentis: mox, militi in Oldenburgo præ-

sidium agitanti ab Archiducis *Alberti* fœcialibus minaciter imperatam deditionem; neque post multo; impares tutelæ sui imminentem perniciem tempestivâ deditione prævenisse. Nox ducibus inquies erat & pervigil, turbidis nuntiorum rumoribus, & expendente rursus belli consilia Principe. Igitur *Verius*, quoniam prima Consiliorum frustrà ceciderant, perruptis munimentis inter quæ sisti hostem speraverat, hortari, orare, ut motis confestim castris, arriperent insiderentque citeriorem illius itineris exitum, quod per depressa pascuorum & humida paludum, ab Hemskerkâ adusque colles littoreos, obrutis fossis, jactuque pontium sibi transituris straverant: non enim alium hosti in littus aditum esse, nisi flexu, & per avia circumerranti. Hactenùs *Verianæ* sententiæ *Mauritius* accesserat, ut *Ernestum* Nassavium cum undeviginti peditum signis, equitibus quingentis, tormentis duobus, & cœtero paratu militari, jusserit præmitti, fauces itineris immuniturum; ipse cum reliqui exercitus viribus, ubi res posceret, adfuturus. At *Verius* carpi vires & dispergi copias abnuebat; sæpè omnes vinci, pugnantibus singulis: fas enim credi; hostem occasionum haud segnem, cum milite primi agminis antè erupturũ ex angustiis,

quam

quam illæ occupari possint ab *Ernestianis*; quos numero & viribus impares, objici veterano exercitui, & successubus feroci; enimverò motis simul omnibus copiis, parem fore cum hoste congressum; & locis æquis æquam fortunam, si totus transierit: at si modò partem sui explicuisset è faucibus transitus; uti angustiæ viarum & temporis, incertaque noctis persuadeant, in promptu victoriam: quod si citi, & omnes, hosti prævertant, itineris & belli arbitrium, occupantium fore. Jam adulta nox erat, cum acceptis, uti jussum fuerat, Solmensibus copiis, quæ metatæ ultrà fluvium expeditioni promptiores erant, *Ernestus* digreditur. Sequebantur autem signa Scotorum duodecim: Zelandi centuriis septem; quinque equitum turmæ: lectus miles; & fide meliori quam fortunâ. Vixdum orto die aggerem viæ ingressis, adventare hostem exploratores nuntiavere. Interfluebat in medio rivus quem ponte *Mauritius* junxerat; hunc pariter & viam hosti auferre, immissis ocyùs equitibus *Ernestus* jubet; nam limosa circùm loca, aut paludibus incerta erant. Sed invecti non minore impetu Hispani pontem anteceperant. Hoc irrito conatu arma corporaque hosti objiciunt; structâ acie in viæ angustiis; nullâ quidem boni

spe,

ſpe, ſed æmulatione obſequii, & curà decôri exitus. Irrupit hoſtis ferox & iratus; totâque exercitus mole incubuit, at illi numero fatoque diſpares; firmati inter ſe, denſis ordinibus excipere impetum, obniti prementibus, & inquietare victoriam; obruti adverſis, & ſalvâ virtutis famâ. Cecidere omnes contrariis vulneribus, verſi in hoſtem; adjacentibus propè fractis haſtilibus, & infælicibus armis. Hoc pedites fato finivere. At *Erneſtum Edmundinumque* Scotorum Tribunum, pernix equorum virtus Oſtendam intulit; ſubſecuto omni ferè equitatu, cui vitæ major quàm gloriæ cupido. Ibi atroci nuntio perculſi Ordines, & ad preces ac ſupplicia verſi nimias ſpes & præceps conſilium execrabantur. Verùm Archidux *Albertus*, blandiente cœptis fortunâ, cumulos ſuper & recentia cœde veſtigia evectus properabat in littus; ipſe prælii avidus; & ſeditioſorum maximè vocibus inſtinctus; qui rapturi imperium ni ducerentur, occupari Orangianos in tranſitu fluminis, & extingui reliqua belli poſtulabant. Cœterùm digrediente è caſtris *Erneſto* imperatum cæteris ducibus fuerat, ut albente ſtatim cœlo, ſua quiſque ſigna ad ripam fluvii ſiſterent, alveum tranſitura ſimul ac æſtus detumuiſſet. Quare curam ducum ſtudia militum

æqua-

æquaverant, dubiâ adhuc luce, compositis ordinibus flumini adstantium. Ibi dum opperiuntur donec sese æstus evolveret, *Mauritium* haud procul à cepto ponte, procerũ coronâ circundatum, nuncius perculit de clade *Ernesti*; hostemque jam transitis collibus, infesto agmine appropinquare in littore. Substitit Princeps defixus illætabili imagine, & magnæ cogitationis manifestus: obversante scilicet ingentis diei specie, quâ libertatem, decus, opes, spem reipublicæ novissimam, in paucorum manubus & armis fortuna collocaverat. Sed diù bello exercitus, & tristium lætorumque sciens, nihil infracto animo unum gliscentibus periculis remedium docet, si transmisso statim exercitu ulteriorem ripam hosti præripiant; ni festinaverint, deprensis clausisque inulto sanguine percundum. Ordo ducendi agminis illo die ad *Verium*, ritu militiæ redierat. Hunc prioris gloriæ virtutisque admonitum ire properè, & agmen suum transmittere, unaque *Ludovicum* Nassavium, qui equitatui præerat, promptum ausis & Laudi juvenem, transgredi jubet: ut imminente fortunâ certaminis, maturo annis, & spectato bellis rectore uteretur. Neque certis tamen mandatis *Verium Mauritius* instruxerat, pro re, loco, tempore, suoque belli usu, consultû-

rum: tantâ virtutis & fidei opinione erat. Neque *Verio* cessatum, quin altiores adhuc inter undas agmen suum transduceret, per catervas & cuneos prælio compositum; adeò properè; ut militi tegmina detracturo, ne marinâ immadescerent, tantillum moræ negaverit; addito; propinquis hostibus inanem esse vestimenti curam: Suum enim cuique vel supervacuum ante noctem, vel siccum & opulentius prædæ & usui futurum. Ita traductos equitem peditemque: Hos Oceanum inter & colles, subsistere jubet in æquore littoris; Illos correpto spatio propiùs invehit in hostem; eminùs adhuc, tamen ut cerni possit incedentem in littore: non quidem irritando prælio; sed legendo, si quà possit, æquiori loco, in quo impetum adventantium hostium exciperet sustentaretque: unum hoc etenim arti imperatoriæ reliquum fortuna fecerat. Nam lubricum illum & versatilem in omnes flexus cohortium motum, quo *Mauritiana* militia præpollere Hispanicæ credebatur, inutilem fecerant Genius situsque regionis. Omnis enim exporrecta secundùm mare planities, imminentium collium jugis obnoxia premitur: & ipsa collium temerè disjecta congeries, præruptis undique tumulis & obliquo glomeratu inter se transversis exsurgit, ut inter

anfractus

anfractus nec oculis provideri, nec manu succurri laborantibus possit: plurimaque sui parte id latitudini spatium est, cui explendæ, insidendæque impar esset *Mauritianus* exercitus. Unde periculum erat, ne introrsùm & quâ tumor collium subsidit, per incustodita transgressus hostis hærentem vadis in Navali Nuportano classem incendio popularetur. Nam ad meridiem, inter ima collium & impervia pascuorum, læve virentis campi dorsum porrigitur equiti peditique firmum juxtà & inoffensum. Huic obviam discrimini *Verius* ibat; cum quatuor a Nuporto passuum millibus advertit inter colles locum, ubi tumulorum fastigia celsiùs in septentriones, in meridiem leniùs efferuntur; simulque universam collium molem, transverso cavæ vallis interjectu diductam penitùs abscindi: castigatiori ibîdem latitudinis spatio, & cui occupandæ non impares copiæ, hinc introrsus & per campi dorsum, inde planitie littoris transiturum hostem infestis supernè telis incessituræ. Hâc regione, oportunis citra vallem, quam memoravi, collium tumulis expectare hostem & fortunam prælii constituit. Igitur ex agmine suo jam procedere jusso mille virorum robora excerpsit: Prætorianos *Mauritii* ducentos & quinquaginta; hastatos sclopetari-

osque: Anglos paribus numero & armis: Frisios duplice numero; sed omnes sclopetarios. Et Anglos quidem, admistis quinquaginta Prætorianis, summitati collis imposuit, qui in sinum memoratæ convallis projectior cœteris excurrit, præceps, abruptus, & ob mollitiem arenæ adscensu arduus, ac vertice in tantam cavitatem depresso, ut miles ab collium adversorum ictubus tutus, è margine & labris tumuli, tanquam è vallo & loricâ propugnaret. Ponè hunc collem passuum ducentorum intervallo insurgit alter, præcelso & insigni fastigio: Illum insidere reliquos Prætorianos jubet, suopte ingenio juxtà validũ, & addito levi manuũ opere, haud minùs tutum: connectit utrumque velut aggestus arenæ perpetuus, paris naturæ, sed depressiori fastigio, qui rectus ad orientem Solem, latere in Austrum obtenditur; subjacente intra vim & jactum telorum omni campo, quem inter infida pascuorum & collium radices pervium memoraui. Hujus insessum & tutelam Frisiis attribuit; jussis ubi res ad manus venisset, tela sua & vulnera in meridiem spargere; quæ tum cœli regio dextra erat in hostem obversis. Sed ab aggestus hujus, quem diximus, sinistrâ, quâ Oceanum spectat, inter prærupta & confusa collium locis naturâ

tutis munitiſque Anglos collocat ſeptingentos, vultu & armis verſos in Boream, & in vicinam ſubjectamque littoris planitiem, integris ordinibus, ubi uſus poſceret, facilè proru pturos: Hos tela ſua & fulgura vibrare in oculos & ora hostium juſſerat, ſi fortè tranſitum in littore molirentur. Secundùm hos in ipſa planitie, quam verberat Oceanus, ſed paulò in Ortum productiùs, quicquid reliquum Anglorum, & erant admodum ſexcenti, explicuit, gemino agmine, & æquis frontibus. Modico poſt Anglos intervallo, & propiores Mari, bis mille Friſii, quatuor agminibus, ſed binis in frontem, aſtitêre. Denſatis arctatiſque manipulorum ordinibus, ipſa agmina patentioribus ſpatiis diſcreverat; ut poſtremorum inter primos faciliꝰ receptu, viribus & audaciâ mutuis ſinguli augerentur, & interim non obumbrantibus alias aliis, univerſæ ſimul copiæ, majore ſpecie ſui, hoſtium oculos implerent. Equites, ſignis decem, Oceano proximi, & omnium in Orientem primi, nudatam æſtu arenam tenuêre. Vixdum primorem aciem *Verius* inſtruxerat, cum *Mauritius* comitante totâ Procerum manu, antè prima ſigna Equo advectus tractare palàm cepit conſilia viaſque prælii: circumfuſos militiæ Principes percunctatus, num

illis in vestigiis opperiri hostem, an ire cominùs & ultrò lacessere, constantius foret. Nihil æquè indecorum viris militaribus quàm argui timoris. Igitur abrupta consultandi morâ Duces certatim proclamant, capienda arma, ducendum in hostem; non impetu modò; sed ratione: Minorem scilicet hostibus animum fore, quo majorem ipsi prætulerint; audaciâ conciliari fortunam; & si quæ speciosiùs jactat militaris facundia; at cunctari, & summæ rei discrimen trahere, propiùs formidinem esse, cujus opinione vel aliturum hostem fiduciam sui, vel usurum morâ cunctantium ad usum belli; intercepto interim Castris limite qui Ostendam ducit; unde arcti & infesti undique commeatus; inexplicabilis receptus. Ad ea *Verius* multâ militari prudentiâ disserebat: Hostem improviso tumultu excîtum inopem esse Copiarum; æstate jam præcipiti, inanibus horreis, & attritâ regione: Quare frustrà timeri ut positis ibi Castris subsidat, moliturus famem exercitui, cui congesta in Naves cibaria & apertus subvectioni Oceanus: Nec vereri se vanam illam fiduciam & citò defluxuram, ubi post tanta itinerum spatia, perusti Solis ardoribus, & attriti inter Collium arenas, vestigiis infidas, & arduas adscensu, fessi cum integris,

tegris, turbati cum compositis congressi, non loco minùs quàm virtute pellerentur. Ipsos satis citò victuros, ubi provisum foret ne vincerentur. At Duces eò pervicaciùs consilium suum amplexi, clamore jam & strepitu *Verium* obturbabant: nec sequiùs ille, animo, voce, & oculis ardens, suis se sententiâ aut loco motum iri negabat, non si totius orbis impulsu urgeretur; donec animorum sententiarumque discordiam, approbato *Verii* consilio, *Mauritius* composuit: statimq; ad ordinandas cæteras acies, quæ jam fluvium transierant, revectus est: & illis quidem, resorbente æstu prout arenæ nudaverant, expansis in littore, suum cuique agmini Equitem affudit à cornu sinistro quod Oceano proximum. At sex tormenta in frontem *Veriani* agminis promoveri jussit, ingenti mox ad Victoriam adjumento. Sic instructi intentique hostem eminùs adstantem opperiebantur. At ille cum duabus horis loco non movisset, devius tandem à littore, collium impedita transverso itineris flexu pertransiit; ad quorum radices, ubi in campos desinunt, parte iterùm horas refovendo militi absumpsit. Unde opinio rumorque invaluit, hostem obsepiendo itineri castra in medio positurum: Sed apud gnaros militiæ, & consilia hostium ex rerum actu

rimantes;

firmantes, inania rumorum rationibus revincebantur. Ideo ſcilicet feſtinatum hoſti, ut ipſos vel tranſitu fluminis præcluderet, vel impeditos in tranſitu aggrederetur: tantæ ſpei irritum, & nocturno prælio & matutino itinere feſſum ſubſtitiſſe in littore; haud abſurde opinantem, ipſos, quibus in loco neceſſitas, una ſalus in armis, ultro incubituros; primùm ſpe propioris ab *Ernesto* auxilii, ſi fortè copias Oſtendam receperit; mox cupidine ultionis, ſi cladem nuntii patefecerint: Nunc compertâ ipſorum loco ſe tenentium conſtantiâ, & urgente annonæ penuriâ rem dare in caſum, prætuliſſe ſqualori littoris commoditatem camporum, ad requiem militis: ſimul expectare, donec adlabente pelago, & ſtagnantibus vadis corripiatur planities, ne veteranus Pedes, & nullâ præliorum fortunâ attritus, patentibus locis equeſtri procellâ funderetur. His rerum argumentis & ſententiam & locum prudentes tuebantur. Medio ferè intumeſcentis Oceani æſtu, hoſtium copiæ tranſmiſſis iterùm collibus regreſſæ in littus, incedebant prælio, præcurrentibus haud modico ante aciem intervallo aliquot levis armaturæ equitibus; quorum unus ſponte ruens & præfeſtinans capi, protractuſque ad *Mauritium*, clarâ voce *Ernesti Cladem*, imminens

imminens præliũ, robur & virtutẽ Hiſpanorum, & cuncta in majus extollebat. Et quanquam, *Mauritii* juſſu, os declamanti clauderetur; proximi tamen militum quæ triſtia acceperant, cumulata mœrore in vicinos, & illi rurſus in alios, vel voce, vel vultu enuntiabant. At Princeps pugnandi certus, & tumente jam æſtu, enavigare claſſem jubet, quo ſublatâ ſpe fugæ, manus & arma miles reſpiceret, & in illis omnia: Aderat illi frater *Henricus-Fredericus* primâ juventâ. Hunc monuit, ut aſcensâ navi, ſi quid triſtiùs fata pararent, ſe reipublicæ redderet. Verùm ille aſpernans, nec degenerem ſe ad pericula teſtatus, ut maneret, virtutemque illo in campo, ex fratre Imperatore diſceret, cum lachrymis exorabat: jam nunc inſtinctus cupidine gloriæ; quâ poſtmodùm ſæculi ſui invidiam paritèr & laudes ſupergreſſus eſt. Propinquabat interim legionum hoſtilium acies; præſultante Equitatu, inſigni ſpecie; ſed adeò diſtanti ſpatio, ut totus in pugnam pateret & caſum: Itaque *Verius* Equitem primi agminis invehi ſuaſerat, qui acri aliquot armatorum impetu velitantes hoſtium Carabinarios retrò impingeret in agmen turmarum; & auſas rursùs inſtanteſque turmas, ſpontè refugus eliceret ſub ictum tormentorum; ut pilis disjectæ perculſæque totâ

protinùs equitum vi protererentur. Verùm *Ludovicus Nassavius* dignationis anxius, aspernatus rectorem & Consilium, nullo adsultu impetuq; in hostem invehi; sed turmis lentè ingruentibus cedere paulatim, & referri in suos. Cum acriter consultis exsecutio deesset; & non ita procul abessent hostium turmæ, librari tormenta *Verius* jubet: nec irritis libratorum ictubus mortes & vulnera toto agmine sparguntur: unde obliti dedecoris equites, trepidâ fugâ, & solutis ordinibus, vicinorum collium latebris se tuebantur: Quæ res maturam & incruentam victoriam *Nassavianis* Equitibus præbuisset, si prompti & alacres fractis & obtritis hostium turmis, nudatas Equitum præsidio legiones perrupissent. Aemulatione, & occultâ invidiâ, pulcherrimi facinoris occasio defluxit. At pedites hostium extrà vim casumque fulminum, nihil labante fiduciâ, & continuato per littus itinere, tormentis ante aciem longiùs evectis, cladem illatam non vanis ignibus ulciscebantur. Dum hæc geruntur, adcreverant undæ, magnâque sui parte stagnabat planities; adeò ut utriusque exercitus miles, arctioribus manipulatim ordinibus illigaretur: At hostis inopino flexú avertens a littore, cum omnibus copijs in edita Collium enitebatur: sive

ſive Conſilium id fuit ; ut Equite minor, peditum robore inter impedita valeret ; ſive metus intonantium in littore tormentorum: Certè non adeò Maris ignarus erat, ut improviſâ æſtuum vice, deſtinatione ſuâ excuteretur. Unde ſicut agminum, ita novæ Conſiliorum formæ oriebantúr. Et hoſtium quidem Equitatus, tranſverſo per colles itinere evectus, virenti illâ, quam ſuprà memoravi, inter infida camporum, tumulorumque arenas, planitie ſubſtitit. In *Mauritiano* exercitu prima acies mutatis leviter ordinibus, locis penitus ijſdem inhærebat: at ſecundam poſtremamque è littore in colles ſubductas, paribus a latere & tergo intervallis cura Ducum diſcreverat, quibus anteà in littore diſtinctæ ſteterant ; ita ut trium acierum frontibus omnis collium latitudo expleretur: Equites eadem illâ planitie turmis hoſtilibus oppoſiti, tenui agmine pro loci anguſtiis exporrigebantur. Compoſito jam pugnæ exercitu, Tormenta duo, monſtrante *Verio*, & *Mauritio* jubente, in faſtigium tumuli ſubvecta ſunt; quorum telis omnis illa planities quam equitatus occupaverat, ſupernè infeſtaretur. Sic omnibus ad noviſſimum caſum paratis ; digreſſuri ad ſua quiſque munia Duces, gravibus ſanè *Mauritij* animum ar-

 gumentis

gumentis pervicerunt, ut postremam Ipse aciem præsens curaret; minoribus periculis non immixtus, majoribus non defuturus. *Verius* ad primam advectus, ubi alacrem instinctumque militem videt; in vertice collis, quem prominere præ cæteris in vallem, & insessum Anglis Prætorianisq; suprà retuli, velut in speculâ constitit; arduus, & vago in subjecta prospectu; unde & hostem observaret & regeret suos; elegerat hunc ut defensantibus opportunum, & irrupturis iniquum; in quo cum fato diei transigeret: Et quamvis ratio prælii frequentem totâ acie Ducem posceret, qui promptos laude, labantes ope, dubios exemplo firmaret; prohibebat tamen ratio situsque loci, inæquali regione, ubi inter obliquos & implicatos collium anfractus, nec ipse visu hostem, nec illius imperium miles vel oculis vel auribus assequerentur. Jam præcurrentes è principiis hostium Sclopetarii, quos vitæ prodigos & obvios morti, militari vocabulo Perditos vocant, occupatis collium valli imminentium superciliis, *Verii* militem glandium conjectu lacessere, dum prima suorum acies adventaret: quâ adpropinquante, quingenti numero Hispani, non tam hastis sclopisque quàm virtute & animis armati, nullo prælato vexillo, neque certo imperio, læti periculis

&

& decôris avidi, impetu in ardua facto, quanquam gravibus supernè ictubus afflictarentur, perrumpere *Verii* collem, insigni patientiâ vulnerum annitebantur. Eodemque momento primæ aciei Eques per planitiem erupit in *Mauritianos*; quos sollers Ducum cura à latere medii agminis retrorsùm instruxerat. Statim fulminantibus è vertice tumuli tormentis, promptissimi quiq; proruebantur; reliqui præter latus *Veriani* agminis progressi, à quingentis illis, quos suprà memoravi, Frisiis in meridiem collineantibus, tam infestâ scloporum grandine verberabantur, ut perculsi turbatiq; post primum *Mauritianorum* impetum, fœdâ retrô fugâ in Peditum agmen impingerentur. Ibi fugæ temperatum & cædi. Majoribus animis. Pedites collem aggressi fatum provocabant & gloriam; adjuti firmatique creberrimâ vi telornm, quibus prima Hispanorum acies, suis è fastigiis *Veriani* collis propugnatores superurgebat. At *Verius* incrudescente ferociâ hostium, ex Anglis septingentis, quos in Boream obversos proximis littori jugis, arcendo illâc hosti locaverat, centum signi unius milites accersiri jubet, occultis inter prominentia collium gressubus, repentino impetu in latus oppugnantium incursaturos. Illi cum impigrè paruissent

ruissent imperio, majoremque quàm pro numero terrorem inferrent, *Verius* è summo vertice, per obtectum cavumque collis descensum, sexaginta subsignanos in frontem præliantium demisit. Obstupefecit hostem ruentium alacritas; pulsisque gradu & protinus in fugam, *Verianus* miles totâ valle inhærebat; multâ pernicie donec aciei primæ suffugio protegerentur. Inde novus iterùm globus integri militis, neque numero, nec animis, nec impetu minor, suis quisque signis & ordinibus soluti, æmulatione gloriæ proruunt, protruduntq; *Verianos*; quorum acerrimus quisque sequentium, versâ pugnæ fortunâ, fugæ ultimus erat. Surgebant in ipsâ valle aliquot colliculi, modico tumore. Hos Hispani, dum cedentibus instant, arripiunt, ingenti locorum oportunitate; obtectis dejectu laterum hastatis, & erectis in vertices Sclopetariis; undè acrior propiorq; vis glandium in velitantes *Verii* vexillarios ingruebat. Ipse terram suis eripi flagitii ratus, centenos iterùm ex Anglis custodibus littoris, excitos & permistos cœteris ire ocius, & deturbare tumulis hostem jubet. Prælium ibi atrox, varium, anceps; his, rursus illis, exitiabile. Modò glandibus, volatili malo, sæpe collato gradu, manubus, corpore, armis, annixi implexique

que, ſternebant & ſternebantur; à fronte, à tergo, cominùs, eminùs, ſed certior eminùs pernicies: patenti quippe valle; nec colliculorum modo, ad quos pugna exarſerat, ſed inſeſſorum utrinque collium ignibus & procellis telorum infeſtâ. Vnde miſſus hinc inde in ſubſidium miles, feſtinato per vallem curſu, ruere in latera tumulorum, ubi à longinquis & inultis ictubus tuti, honeſtâ morte non inglorii caderent. Neque ſegniùs, qui tumulos inſederant, impellere ſcandentes, detrudere obvios, ferire ſclopis, fodere pugionibus: Vtrinque pudor; utrinq; gloria; Vtrobique vulnera, ſanguis, cædes, ſtrageſque, variâ pereuntium formâ, & omni imagine mortium; donec obſtinatis inter ſe *Verianis*, labantes Hiſpanorum copiæ tumulis proturbarentur. Dum in valle mutuis invicem cladibus inter primanos ſævitur; Media hoſtium acies per arduum progreſſa ad primam propinquaverat; eodemque, quo prima, poſitu, in dextrâ collium ad ſiniſtram primæ, levi intervallo, & adæquatâ ambarum fronte, conſtitit; primum apertior, mox adverſorum Collium telis percuſſa; cautiùs & flexis aut prominentibus jugis obumbrata magis quam obtecta. Ex hâc fœta viris animiſque rursùs in vallem, & inſedentes *Verianos* promptiſſimi

ſimi ruebant; pleriquc militiæ veteres, & clari bello, aucta ſtipendia & ſua quiſque decora præferentes. Neque *Verius* ceſſabat ſuis curſu pugnâque feſſis, & recentium robore impetuque inclinantibus, & impulſis, integros ſubmittere, quorum virtute inſtauratum denuò prælium, & æquata pugna eſt. Sic alternante, prout ſubſidia invaluerant, ſucceſſu; hi, rurſus illi, pellebant & pellebantur; dato hauſtoq; non modico ſanguine. Par utrimque ſtudium rapiendæ vallis, & in tuendâ non impar virtus & pertinacia: Sola Collium opportunitas, proviſu Ducis, *Verianis* æquior erat; ſtabili gradu & tanquam è vallo vulnera dirigentibus in hoſtem, malè tectum in Collibus, in valle apertum: unde crebrior in illum cædes, clades damnoſior: & obſtinaverat animo *Verius*, in ſe & primam aciem, quamvis diuturnitate pugnæ exhauſtam & infrequentem, totam Hiſpani exercitus molem avertere; ut attrito carptim hoſtium robore, ſegnis poſteà & imbellior numerus, pulſu impetuque recentium exterriti, à med â & poſtremâ *Mauritianorum* acie perrupti obtererentur. Non improſperè interim, aciei mediæ proprius eques ſuo in campo ruebat in *Mauritianos*; qui ſucceſſu prioris pugnæ feroces, avidiùs quàm conſultiùs, extrà cohortis Friſiæ tutelam

telam proruperat: Sed illa labantibus & retrò versis, contra vim cladem que, conjectis desuper in sequentes telis, munimento fuit: Ita impetus stetit, & manubus æquis abscessum. At postrema hostium acies ad sinistram Collium provecta, impetu & specie ferebatur incubituræ in mediam ultimamq; *Mauritianorum*; quæ intrà conjectum teli ponè *Verianum* agmen instructæ, & nullâ adhuc hostium vi lacessitæ fuerant: Sed hi prætervecti dextrum cornu *Veriana* manus, ubi intectum latus Frisiis, inter oportuna tumulorum collineantibus aperuerant, atroci & improvisâ telorum tempestate consternabantur; defixisque pudore simul & metu, neque gradum inferre, nequefugam consciscere in promptu fuit; donec in vallem vicinam inter inæquales arenarum adgestus sinuatam descenderent. His ergà partes meritis Frisii diù hostium Equiti, nunc Peditum agmini graves, diem & nomen decoravere. Sed è valle rursùm acerrimus quisque, & animo vel robore validus, effundebantur; soluti signis, sparsi conglobative, hostis laudisque cupidine, australia collium armis & tumultu permiscebant: cùm his pugnam & arma per montosa spargentibus, lecta toto *Mauritiano* exercitu virorum robora, æquâ virtute, sed iniquis hosti locis certabant; in

E quem

quem ex edito & occulto Collium, prægrandibus Scloporum tubis, tela & cœdes inulta ingerebantur. Minùs acri discrimine equites novissimi agminis, & parciori sanguine, fortuna collidebat: Ostentatæ enim hincinde turmæ, post brevem impetum, extrà teli hostilis adjectum sub præsidia suorum revehebantur; diversâ omnium quæ ferè accidunt præliorum facie: Nam cum pleræque peditum fortunæ, equestrium pugnarum fato temperentur; hic è contra, spes & equitum virtus vi & oportunitate peditum nitebantur: nec exui campis fugative eques poterat, quoad potens collium peditatus, armis & loco præpollebat; tutela pulsis, & prementibus infestus. Interim nihil remisso ad tumulos ardore pugnæ; primani secundanique hostium, & *Verianus* miles ferali invicem lanienâ, multâ cum strage implicabantur. Hærebatque vir viro, & pede pes; nulloque missilibus spatio, gladiorum & hastarum mucronibus vita & sanguis prælianti-um hauriebantur; adfluentibus hincindè auxiliis, vel spe, vel metu, indomabili pertinaciâ: donec universa Anglorum cohors, præter paucos qui summa collium insederant, discrimini immisceretur. Nec sanè multi apud hostium acies laborum periculorumque exsortes supererant;

nomen

nomen magis legionum quàm robur; abductis cohortium viribus, & opportuna collium, vel cæsorum apud tumulos vestigia occupantibus. Solus hostium Eques composito agmine, & frequens apud Signa erat: in illo, integris adhuc ordinibus, vnicum robur; sed impar, & citò defluxurum in fugam, ubi nudi suorum præsidio peditum, ab Equite *Mauritiano* recentium legionum Peditibus immisto, impellerentur. Itaque *Verius*, patefactam in hostem ratus occasionem novissimi casus; simulque reputans militem suum numero minorem, ni validioribus subsidiis firmetur, superante ex adverso multitudine, vel vi hostium, vel suâ lassitudine periturum, pernicibus nuntiis Frisios aciei primæ Pedites, quos in littore instructos suprà retuli, acciri jubet; simul *Mauritio*, quo suæ, quo res hostium loco sint, exponi; additis precibus, submitteret properè secundi agminis Equitem; eriperetque devotam morti legionem: Ac prout hosti perculsos prementi ferocia, ita nunciorum, auxilia implorantium preces, acriùs intendebantur. Ipse periculo suorum, summæque rei percussus, relicto colle quem institerat, descendit in vallem, prælioque Eques occurrit: statim advecto crus glande trajicitur; Nihil vulnere terri-

tus, huc & illuc volitans, ferire hostem, hortari suos, firmare animos, minuendo metu, accendendâ spe, & omnibus belli incitamentis; Ita ruenti, & ægrè sustentanti aciem, missile rursùs plumbum graviori vulnere femur transadigit. Sed ille supremi discriminis anxius, sui incuriosus, nec ostentationem vulneribus neque fomenta adhibuit; certus non excedere prælio, ne fracti pugnantium animi hoc velut omine consternarentur; Et sanè tot annorùm stipendiis, tam durâ & exercitâ militiâ, neque Ducem militis, neque milites Ducis unquàm pœnituerat. Igitur durare in vim extremam constituit; & si fortuna contrà daret, receptum non minùs quàm arma temperare consiliis & exemplo; adversa tolerans spe subsidiorum, quæ tot nuntiis exciverat. Sed illis ad pugnam inpromptis, certè non satis properantibus, *Verianus* miles, numeris obrutus, misceri primò & turbari, tum referre pedem, cedere loco, mox turbine irrúentiúm impelli. Nullum in illâ trepidatione *Verius* Ducis officium, militisve omisit. Increpare paventes; retinere dubios; retrahere fugientes; consilio, manu, voce, insignis hosti, conspicuus suis contra fortunam obniti: Sed impetu turbatorum abreptus propulsusque cessit ad extremum ingruenti tempestati,

pestati, ultimus & invitus: cedentibus spes novissima erat in præsidio tormentorum: itaque eluctati altitudinem arenæ inter collium salebras; illûc non effuso quidem, intento tamen per plana littoris gradu se recipiebant; impigro ad sequendum hostium Equite, & tergis gravi. In littore obvias habuere Frisiorùm cohortes; serùm & inane auxilium; quæ neque turbatis constantiam addidere, & alieni pavoris contactù in fugam auferebantur. At *Verii* cedentis Equus pluribus in pugnâ vulneribus suffossus, multâ tandem morte procumbens, pondere herum & toto cadavere implicuit: neque militum quis neque famulorum præstò erat ferendæ opi; & propè hostis aberat ferociâ ardens & successu. Insignem dies illa virum vidit *Thomam Highamium*; domo non obscurum; sed civis Ducisque servati gloriâ nobilem; Is è familiâ *Roberti Drurii* equitis Angli, & inter palantes Domino suo comes, simul equo & hosti incumbentibus subreptum Ducem, imposuit in tergum equi, quo *Drurius* vehebatur. Sic advectus sub tormenta *Verius* fratrem ibi reperit *Horatium* non indecorem fratri, & multis in bello Belgico palmis sæpè memorandum. Adstabant cum illo centuriones Angli lanienæ superstites; & accisæ reliquiæ pedites recenti;

centi; loco certè, nondum ſpe & animis excuſſi; arma quippe, ſuprema victis ſolatia, retinebant. Hos immoto gradu conſiſtere pro tormentis; & ipſa in hoſtem toto jam littore volitantem explodi *Vertus* jubet. Verterat hûc fortuna fermè eodem momento duas equitum turmas, quarum una proprius *Verii* miles; alteram *Balenius* decurio præſens regebat, acer & clarus militiâ: His imperat prorumpere in hoſtem pilarum turbine attonitum; miſſo ſtatim fratre, qui equeſtrem impetũ, pedeſtri impreſſione ſubſequeretur. Redierat jam fortuna virtuſq; victis; tantâq; vi peditum equitumq; manus, numero exigua, animis ingens, incubuit in hoſtem; ut quantò ferociùs ille fiduciâ victoriæ accurrerat, tantò acriùs pulſus in fugam disjiceretur: Ingens ibi ſtrages, & plurimum ſanguinis, perſultante planitiem equite, & ardente in cædem; hærenteſque fugacium tergis victores in ſuffugia collium irrupere; planaque & edita pari terrore & exitio permiſcebant. At hoſtium acies, quæ ſub ſignis vexilliſque ſumma collium, expertes prælii inſederant, admonitæ periculis excitabantur: nec ulturorum commilitones ille motus erat; ſed conſulentium ſibi; dabantque ſe incautos & indefenſos telis *Verianorum*, qui faſtigiis ſuis immoti, in hoſtem apertum

tum & expoſitum atroci procellâ detonabant. Simul cæteri Anglorum, exciti proſpero clamore, & inſigni ferociâ victoriæ ſe miſcentes, incurſabant nutantes hoſtium acies impellebantque; fulgentes quidem ſignis, ſed nudatas & infrequentes milite, abducto jam antè & attrito in ſubſidia pugnæ Sclopetariorum robore; quorum locis inæqualibus præcipuus uſus eſt. Inclinatâ demùm ſpe hoſtium, ſecundam aciem equitem juxtà peditemque in conſternatos invehi *Mauritius* jubet. At hoſtis fugam circumſpectans, pulſu, ſonituque, & nube ipsâ invadentium ſuperfundebatur. Tum verò atrox ubiq; ſpectaculum; fugere, capi, vulnerare, trucidari: paſſim arma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus. Fortiſſimus quiſque ex Hiſpanis, quantùm peditum erat, funduntur. Rapta ſigna vexillaque centum & viginti: modico equitum ſanguine. Apud *Mauritianos* diſpari fato, cruentati equites: duæ peditum acies propè illæſæ. Aſperrima Anglorum fortuna fuit; Octingenti Milites in pugnâ occiſi; trucidati octo Centuriones; reliqui, duobus exceptis, vulnerati: Et ferè nemo in illis cohortibus, vel ordine, vel animo antè vulgus fuit, quem non dies iſta ſicùti virtute, ſic teſte virtutis vulnere inſigniverit.

FINIS.